

ginis autem faciem fugere, et a formosae puellae aspectu oculos subducere? Diabolum quidem videns accedentem non fugit, sed mansit, sicut leo viribus fortis; virgine autem visa non stetit, neque moratus; in contuenda pulchritudine, sed statim recessit. Censebat nimirum in praedio contra daemones virili, et audeat animo opus; in continentiae autem preparatione victoriam concedi, non ex virginum consuetudine, sed secessu; haec ille. Non solum autem fugiendum esse aspectum pulchri vultus humani, sed inanimatae imaginis ad lasciviam provocantis, his verbis docuit d. Chrysostomus (serm. con. concub.). Audimus autem, et hoc nostro saeculo, quod nonnulli ferro totum corpus obligantes, et sacco vestientes, et ad vertices montium currentes, ac continuis vigiliis, ac inedia summa viventes, et omnem disciplinae severitatem ascendentes, ab omnibus mulieribus segregati, ascendere in domunculam, et tugurium, ut hoc ratione seipsos castigantes concupiscentiae furorem comprimant. At tu dicis, quod licet videas cohabitantes virginum, et alligatum, et delitiantem, et animam potius amittentem, quam cohabitricem, paratunque omnia et facere, et pati potius quam separari a dilecta, non suspiceris aliquid mali, ne putes concupiscentiae negotium, sed pietatis potius. Admirande vir, is affectus est his, qui lapidibus cohabitant, non hominibus, quod etiam multi apud lapides, et statuas aliquid passi sunt; quod si tantum valuit dura effigies, quantum operabitur insaniam in effigie pulchra tenerum corpus? Quod si quid difficultatis habet divelli a consuetudine longa, istud nobis persuadeamus, vel si principium solum imponamus operi, non ultra visuros nos difficultatem, sic adversus consuetudinem praeteritis. Nam si decem dies te abstraxeris, facile ferres viginti, et iterum bis tantos, deindeque via progrediens neque senties difficultatem, quam habuisti initio, videbisque facillimum factu, quod tot agones prius exposcebat, et in aliam te mutabis consuetudinem, vicesque libere, et incunde. Quid enim fuerit suavis, quam perpetuum concupiscentiae bellum dirimere, et nulla facilitate bonam continentiae coronam plectere, et liberis oculis in coelum respicere? Nullus catinus, pondere, et altis carcerum incommodis exemptus, immo nullus, qui caecus erat, apertis oculis, et visa hac dulci luce, sic exultat, ut cum ab hac servitute liberari contigit; haec ille ille.

Ne tamen praetextu sanctitatis foeminae cum viris, aut viri cum foeminis familiaritatem ineam, d. Hieronymus (in reg. Monach. ad Paul. et Eustoch.) haec maxime observanda virginibus reliquit: Non nimirum sit stricta familiaritas, non sacra collorquia, et si spiritualis pater, quamvis episcopus, sanctus sit tamen, homo est debile animal, tam cito perditur, nisi fortiter custodiatur, quod charum habetur, et utile: in sacro commercio diabolus minime quidquam inveniat, unde regimem, unde ducatur, inde sentiatur interitus. Omnes aequaliter pertractentur, nulla carnalis, sed spiritualis dilectio interveniat, nec stricta sit nimirum; principium

enim spiritualis operis, si non sit matura provisio, solet subsequi quoddam carnale. Vere non tacemus, ut in pluribus solet contingere, conditionis muliebri infelicem miseriam, cum fervore spiritus, sub charitate nimirum stricta, nisi custodia gravitatis ori ponatur, ut nemo delinquat in lingua, si utatur loquendi, vicendique copia, statim libido, actu turpissimum, dictu infelicissimum, de spiritu et charitate nascitur. Propterea, charissimae, hoc hortor, hoc mando vobis, ut quae Christo desponsatae estis contugio, cui nomen castitatis vestrae fidem vovistis, cui nullum praeter ipsum amatorem cognoscere sub iurejurando estis pollicitae, viri cuiuscumque, etiam si eum sanctitas exornet, etiamsi Baptistae aequaretur meritis, quateratis fugere faciem, nec liceat secum dilectione ferrenti adstringi per diem. Idem d. Hieronymus (cap. 20): Vir cuiusque conditionis existat, ut non nunquam appareat, aut visus visum terrat vestrum, velut horridum monstrum. Propterea volo, charissimae, ut si cum viro ex necessitate loqui oportet, velum in fenestra vel tractum, alleratur faciem tegat, nec liceat videri, quod concupiscit non licet. Excusationem nullam sibi arripiat sanctitas. Sanctus David in videndo capitur, Dina, ut videret egressa, visa corruptum. Sacras Scripturas clamant, sine syllaba singulae, pene instrumitur corporis propriis singulis motibus, quod victoria non speratur in hoc certamine, nisi ex fuga. Nemo ex fortitudine audeat resistere viribus, quoniam nisi fugiat cito, succumbit. In communi etenim vita, nec verbum sit proprium; secreta verba non earent suspitione, et ideoque praecipio, ut nulla soror alicui exteriorum sine plurium sanctorum sororum, et oblatissae, seu alterius praepositae domus potissime praesentia loqui audeat, his dumtaxat exceptis, quae sacerdoti in confessione dicuntur. Solent profecto talia verba semina multa mala proferre. Inter vos de viro nequaquam, si fieri potest, habeatur mentio: ultra quam creditur, exultat diabolus, ut in corde virginum virorum memoria viget. Nullum venenum nocivius foeminae, quam affectus erga virum, quae cumque de causa proferat. Sanctior mulier ultra, quam dici liceat, si viro adhaereat, quantumcumque spiritualis, instinctu naturali inclinatur tandem ad nefas, si in viro virtus deficit. Etiam argumenta sunt diaboli, et mortis aeternae indicia; filiationis, et maternitates, quibus vocabulis sub velamine spiritus inter se utuntur mares, et foeminae. Muncula omnia, et suspectas literas, haec cum luxuri ac munita, vobis interdico sub analhemate, et aeternae mortis poena. Adhaecatur summa diligentia, ut extra coenobi limites litera quaecumque non exeat, nisi abbatissae, et sororum accesserint vota, et si opus est, et gravitas ita rei exigit, adsit episcopalis licentia, non sacerdotis consilium; gravissimae poenae subiacet, quaecumque huius reperit fuerit re. Idem etiam, cum venisset in suspicionem Romanis, quod Paulam adamaret, et huiusmodi obsecrationibus responderet, inquit: Multa me virginum cerebro turba circumdedit: Divinos libros, ut potui, nonnullis saepe disserui, lecto assiduatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiducia fecerat. Dicant, quid unquam in me aliter sen-

serint, quam christianum decebat? Pecuniam cuiusque accipi? Munera, vel parca, vel magna non speret? obliquis sermo, oculus petulantis fuit? Nihil mihi aliud obiciunt, nisi secum meum: et paulo post: Antequam domum sanctae Paulae nossem, totius in me urbis studia consonant, omnium me iudicio dignus summo sacerdoti decebar. Diebar sanctus, humilis, et disertus. Namquid domum alicuius lascivioris ingressus sum? Numquid me vestes sericae, atentes gemmae, picta facies auri rapit ambitio? Nulla fuit alia Romae matronarum, quae meam posse edomare mentem, nisi lugens, atque icernans, squallens sordibus, fetibus pene caecata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem sol saepe deprehendit. Nulla me potuit delectare nisi illa, quam manducantem nunquam vidi. Sed postquam eam pro suae merito castitatis venerari, colere, suspicere coepi, omnes me illico deseruere virtutes; haec ille divus Hieronymus. Ex quibus ultimis verbis aperitissime constat, quam viri, et foeminae convictus periculosus sit, etiamsi magna sanctitate polleant.

Ex quibus omnibus non obscure colligo, quod si Patres adeo virginibus cavendum monent aspectum, loquelam, et quamlibet aliam cum viris communicationem, aperte relinquunt, diligentius eorum tactum illis esse fugiendum, ut his verbis eleganter dixit d. Basilius (de vera virg. ad Letoi. Melit. episc. tom. 2): Sicut cum ignem tangimus, ignis indicia per impressas nos ignis adustiones excipimus, impossibileque est eum, qui ignem tetigerit manu, illeceam illam ab eis incensata operatione servare; ceterum, et ad huius repente tactum consecutae turgescent, ac dolorosa per ferorem, et inflammationem ulcera mox rumpenda minantur, aut iam quoque facta in magna acria visuntur ulcera: ita possibile non est eum, quem ignis amor attigerit, eiusmodi tactum innocuum, involuntumque praefere; sed aut simili ratione bullae per tactum manus cordi clam subrepunt, atque intumescent, diraspae amoris perturbationes ferrentibus, et aestuantibus, incontinentissimisque agitationibus pariunt, ac peccati ulcera continuo rumpendo minantur, aut animum totum in intimis iam graviter exulceratum indicant. Ignis enim ardens est in omnibus membris, in quem vero superceci, eum a radicibus perdidit. Itaque quoniam in membris omnibus hic ignis ardet, his, qui corpus adustione liberum servare instituerunt, membrorum omnium contactus caute vitandus est, ne ardentem ignis operationem in toto corpore, atque in anima ipsa suscipiant. Sicut lapis in aquam cisternae coniectus, non solum adiacentem aquae partem, in quam cecidit, agit, verum orbem alios post alios perpetuis cicibus excutit, eos internum ad ultimos lacunae margines agitando perducit, ita et lascivus obtutus, vel sermo, voluptatis delinuit illecebris, in virginis animam, velut in undam purissimam; vehementer incitatus, alias post alias, quasi in profundum, cogitationes amatorias excutit, ipsamque totam eius, qui fecit imaginem, sanctam fluctibus agit. Nos igitur, qui ad imaginem Creatoris nostri creati sumus, eius puritate imitari conemur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Vocem Deiparae Mariae, Elisabetham salutatantis, instrumentum fuisse divinae virtutis ad sanctificandum Ioannem, et domum prophetiae illi conferendum, necnon Elisabetham, et Zachariam multis bonis replendo, ex Patrum doctrina monstramus in illa verba: Intraivit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth, et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius etc.

Aulus Gellius (l. 4. noct. att.) dixit: Admiratio, quae maxima est, non parva verba, sed silentium: sane in hoc evangelio cum permulta prodigia in unum coeant, vehementer adeo animum in admirationem rapiunt, ut instar aestas eiusdem verba promere non sinant. Adest Deus et homo, adest mater, et virgo, adest fides divina, et cor humanum, adest sterilis Elisabeth gravida, adest Ioannes antea sanctus, quam natus, simul infans, et adultus, et, ut ait d. Augustinus (de Nat. Bapt.), prius tangens coelum, quam terram. Inter haec tamen mirabilia, quattuor praecipue reperio similia illi, quae sapienter Salomon ardua valde, ac difficilia visa fuerit. Primum fuit via aquilae in coelum; ecce Mariae, quae instar regiae aquilae velocissime volantis: Exurgens abijt in montana cum festinatione, ut praedam faceret omnium nobilissimam, hoc est, ut Ioannem, de quo Christus (Matt. 11) dixit: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, ab unguibus daemones liberaret. Secundum mirabile fuit, Via serpentis super terram: ecce veterenam Elisabeth, prudentissimam serpentem, quae per duram, ac siccam sterilitatis petram pertransiens, et quasi antiquum infocunditatis pellem exuens, mira invenescit fecunditate divinitus ei indita. Tertium valde mirandum erat, Via navis in medio mari; ecce infantem Ioannem, velut navigantem in medio inundantis maris originalis peccati procellosis fluctibus agitatum, a quibus tamen maris stella, sic sonat Maria, tamquam instrumentum divinae omnipotentiae, illum liberavit. Quartum tandem mirabile adeo, ac perdidicere erat, ut Salomon diceret: Et quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentula Maria, velut in velocissimo curru ad Zachariae domum pergens, ut velut sol irradians tenebras Ioannis mentem illustraret, et in sterili illa terra peccati originali maledictione foedatam pretiosissimum gratiae iustificantis auram, in aestimabilesque virtutum margaritas procrearet. Est namque observatio dignum, quod Christus Dominus non aliter divina charismata Ioanni et matri eius conferre voluit, quam Ioannem Virginis salutatione, ut apertis verbis edixit Elisabeth (Luc. 1): Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Unde doctissimus Petrus Ravennas (serm. de Ioan. Bapt.) dixit: Per

voem Virginis facta est sanctificatio Praecursoris: et d. Cyrillus (lib. de reela file) inquit: Salutato sanctae Virginis Mariae, Iesum ferentis in utero, Ioannem vocat ad prophetiam: et d. Chrysost. (sup. cap. 2. Luc.) id ipsum his verbis edocuit: Ideo Christus fecit Mariam salutare Elisabeth, ut sermo procedens de utero matris, ubi habitabat Dominus, per aures Elisabeth ingressus, descenderet ad Ioannem, ut illum ungeret in prophetam. Itaque docent hi Patres, verba Virginis non tantum significativa, sed etiam effectiva fuisse, velut instrumentum quoddam, per quod omnipotens Christus virtus operabatur in Ioannem, et Elisabeth. Quare quemadmodum in exordio creationis mundi ad vocem Dei conditus fuit orbis; ita ad Mariae vocem coepit orbis renovatio: et sicut ad hanc vocem (Luc. 1): Ecce ancilla Domini, sacrum incarnationis mysterium peractum est; ita ad salutationem Virginis mira tanti, ac tam ineffabilis sacramenti virtus coepit manifestari. Unde egregie Episcopus Cretenis (to. 3. de Vis. B. Virg.) dixit: Ad primam vocem in paradiso virginis uteri arbor vitae plantata fuit, ad secundam fructus arboris pullulare coepit: nec solum illi sacramentum obconditum a saeculis in Deo patebat, sed per eam illius effectus olis manifestantur. Vox haec salutio fuit Virginis, ut ait Lucas: Et salutavit Elisabeth: non enim defuit b. Virgini debita illa urbanitas, ut quamprimum domum vetustioris cognatae ingrediebatur, illam salutaret: nam et angelus Gedeonem, et Raphael Tobiam seniores salutavit; sed et Dominus hoc Apostolos facere movuit, ut in quemque domum intrarent, primum dicerent (Luc. 10): Pax huic domui: quod idem ipse ad Apostolos ingrediens observavit dicens (Ioan. 26): Pax vobis, Paulus etiam dixit (ad Rom. 16): Salutate invicem in oculo sancto. Nec refert quilibet, quomodo Elisum interduxisse Geza famulo suo, quem cum baculo suo ad domum Sunamitidis mitteret, ne quemquam occurrentem salutare iuberet; et Christum ipsum prohibuisse discipulis suis, ne quem in via salutarent. Aliud enim est, obvium aliquem habere, aliud domi etiam suae reperire. Nolebat illi suos iam ad illos accinctos colloquiis occurrentibus ab officio avocari, ad instar illius prophetae, qui a pseudo-propheta seductus est: interium non prohibuerunt illam honestatem, qua quantumvis barbari inter se utuntur, ne forte ut hostes domos alienas adirent. Ostendit etiam suam urbanitatem b. Virgo in eo, quod honore praeveniens cognatam suam, prior illam salutavit, ut his verbis docuit d. Ambrosius (in c. 1. Luc.): Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniores; nec solum venit, sed prior salutavit: docet enim, ut quanto castior Virgo, tanto humilior sit, nocere deferre senioribus, sit iunior humilitatis, in qua est professio castitatis. Quo autem genere salutationis usa fuerit b. Virgo, silentio praeterire sacri evangelistae, verosimile tamen est, ut Angelus Celestinus (sup. mis. dis. 31) adnotavit, quod cum ipsa micro suo gestaret illum, de quo Paulus (ad Ephet. 3): Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum: hanc futuram Filii sui salutationem usurpasse: Pax tibi: vel:

Pax huic domui. Eruditissimus vero Salmeron (to. 3. tract. 10) refert ex aliorum sententia, haec fuisse verba Marianae salutationis: Pax tibi, magni prophetae, et vocis clamantis in deserto dignissima mater.

Cur autem b. Virgo non dicatur salutasse Zachariam, licet quidam opinentur, quod magni momenti negotiis occupatus non primum ei obvius factus est; aut quia decentior erat, ver recundam Virginem colloquium primum cum foemina, non cum viro inire; mihi tamen cum Alberto magno (sup. c. 1. Luc.) videtur, Mariam non salutasse illum, quia erat mutus, et surdus propter incredulitatem, ob quam ei angelus praedixit (Luc. 1): Eo quod non creditisti verbis meis, eris tacens usque ad diem natiuitatis eius: pudorem autem virginum minime decebat gessibus, et nutibus cum viro occupari. Ohiter tamen non possum hoc loco occurri consuetudinem non execrari, qui abiecta, ac penitus ab eorum ore relegata salutatione a Christo Domino in evangelio indicta: Pax tecum, non aliam in ore versant, quam illum ethnicam: Oseulor manus tuas: quae sine dubio ortum habuit a quodam Gentilium ritu, qui ut solem et lunam adorarent, ad hos planetas manum extendentes, postea illam osculabantur, ut his verbis tradit Lyranus (super Job 31): Gentiles illius temporis manum osculabantur in signum reverentiae corpora coelestia tanquam Deos adorantes; ad idque plane alludunt verba Iobi (c. 31): Si osculatus sum manum meam ore meo: si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incidentem clare: quae est iniquitas maxima, et negotio contra Altissimum. Ecce profana vestra salutio osculandi manus non aliud quam idololatriae primordium habet.

Ceterum ad id, unde non nihil digressi sumus, revertentes, divina charismata, quae per Marianam salutationem, tamquam per instrumentum divinae virtutis, in hac visitatione munificentissima Dei largitas in Zachariae domum contulit, commemorare propremus. Elenim si exploratum satis et compertum est, sanctorum adventum in alienas domos fortunatum esse et salutarem crebro extitisse, nemo sanae mentis Virginis ingressum, et habitationem in domo Zachariae utilem valde ac proficuum illi fuisse diffidebit. Venerunt olim tres angeli ad Abraham, quibus hospitio exceptis, cum pro peregrinis haberentur, patriarcha ille diuturni voti compos factus est, ut in extrema prope modum aetate contra omnium expectationem, ex uxore sterili et valde aeniosa optatum diu filium ac haeredom acciperet. Venerunt rursus angeli duo, et ad Loth Sodomis commorantem divertentur, qui non solum hospitem suum, sed et filias suas duas et summo vitae periculo liberaverunt, ut e communi et horrenda visitatione patriae incolumes superessent. Venit Iacob ad impium Laban, suoque adventu singularem Dei benedictionem illi idolorum cultiori obtinuit, ut palam ipse fassus est dicens: Experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te. Venit Ioseph in domum Putipharis, principis exercitus Pharaonis; et Deus tot illum bonis cumulavit, ut sacer textus (Gen. 39)

dicat: Benedixit Dominus domui Aegyptii propter Ioseph. Venit Elisaeus ad Sareptanam hospitem suam viduam, et omnia vasa vacua oleo implevit, quo et debita sua solvit. Idem etiam propheta ingrediens domum Sunamitidis filium eius mortuum ad vitam revocavit. Venerunt tandem Apostoli, et pacem domesticis, ad quos divertebant, nisi indignos illi se praebant, elargiebantur. Si igitur ad ingressum servorum Dei mirabiles hi effectus continuo pullulabant, quis quaeso dubitabit, uberiora bona ad ingressum Matris Dei in domum Zachariae in habitatores eius fuisse collata? Equidem si, ut astrologi venditant, quando in die natalis alicuius haec duo pariter concurrunt, benevolus planeta, et favorabilis domus, in quam ingreditur, magna alicuius futurae felicitatis praesagium esse censetur, cum hodierna die planeta regnans sit Sol iustitiae, et domus favorabilis, quam inhabitat, Maria, in cuius utero detlescit, non poterat, non id felicissimos eventus praenuntiare et praesagiri. horum primus, et potissimus fuit peccati originalis maculae, Ioannis animam deturpantis, media gratia illam sanctificante, expiatio et emundatio: quemadmodum enim, ut legitimus (lib. 1. Reg. 16), David cithara sua sonans spiritum malignum a Saule expellebat, ita verus David Christus Marianae salutationis cithara sonante, ad sonum certe eius peccatum a Ioanne longe relegavit. Unde sicut olim columba, quam misit Noe revertens ad arcam rumpum olivae virentis in ore deferens, symbolum fuit pacis; unde Virgilius (Aeneid.):

Pacificaque manu rumpum praetendit olivae;

non secus beatissima Virgo, velut purissima columba, in domum Zachariae veniens, ac ore suo mysticum illum rumpum Pax tecum in ore gestans, signum fuit Elisabethae minime ignotum, peccatum originale Ioannis animam inundans iam cessasse; unde ad id significandum evangelista (Luc. 1) dixit: Ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius. Ac tandem sicut olim tempore cruciatae terrae sanctae his accidit, id variis testantibus historiographis, ut columba sub alis suis literas deferret aditricem, et auxiliatricem; ad eundem modum b. Virgo instar columbae utero suo portans epistolam, quam misit Pater, hoc est, Filium suum, ad auxiliandum et liberandum genus humanum, cum primum illum in domum Zachariae induxit, Ioannem ab originali peccati infestissimo hoste liberavit. Ecce miram Matris et Filii largitatem, et munificentiam, qua sane non solum liberalius, sed et urbanius mihi videtur se gessisse cum Ioanne, quam Elisaeus cum principe Naaman Syro: hic enim propheta non est egressus ad principem, sed misit illi nunnum qui indicaret ei medicinam, quam adhibere deberet, et a lepra liberaretur; unde princeps ipse iratus dixit: Putabam quod egredieretur ad me; Christus autem Dominus cum Maria egressus est ex Nazareth ad Ioannem, princeps ad servum, rex ad famulum, Messias ad Praecursorem, Filius Dei ad filium Zachariae, Creator tandem ad creaturam.

CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. 1.

Ad haec, quemadmodum Dominus olim, cum esset in medio-rubi, vocavit Moysen, et elegit, ut esset dux populi sui, et educeret cum de Aegypto; sic et modo Dei Filius, cum esset in utero beatissimae Virginis matris suae, quae per illum rubum mirabiliter significata, est et sancti Patres, et Ecclesia nos docent, vocavit Ioannem, et elegit in servum, et ducem populi sui, quem educere veniebat de servitute peccati, et mortis, et inducere in terram promissionis aeternae: unde per Isaiam (c. 49) nomine s. Ioannis dicitur: Dominus ab utero vocavit me: de ventre matris meae recordatus est nominis mei: ac si diceret; Dominus ipse, cum esset in utero matris suae in rubo illo virgineo, et inaccesso, ab illo me vocavit per gratiam suam, et sanctificavit, nomen indidit, ac Praecursorem instituit, qui praepararet ei viam ad salutem totius humani generis. Vide tamen, quomodo ampliori gloria pater Moysen, etiam cum grandis esset factus, iste puer, magnus futurus coram Domino, dignus esse habitus. Nam primo Moyses missus est ad populum Israel, ut educeret eum de servitute Aegypti, in illa visitatione Domini, quam praedixit sanctus Ioseph (Gen. 5): Post mortem meam Deus visitabit eos, et ascendere faciet de terra ista. Visitatio haec, quae terrena fuit, per quam eduxit populum suum Deus in manu Moysi de terra Aegypti ad terram, quam promiserat illi, lacte, et melle mananlem: at Ioannes fuit homo missus a Deo, ut testimonium perhiberet de Christo, qui visitatione sua spirituali, ac coelesti educere veniebat populum suum de servitute daemonis, de tenebris peccati, et inducere in patriam promissionis, et claritatis aeternae. Hinc Zacharias, plenus Spiritu sancto, coepit cantare hanc visitationem, et redemptionem, quae per Christum venire incipiebat; inquit (Luc. 1): Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae: et postea: Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Huiusmodi autem visitationis divinae Ioannes admirabilis praeco, et vox fuit ab ipso utero; ipse coepit aperire viam ante faciem Domini, et parare Domino plebem perfectam, quam ipse Dominus suo adventu visitavit, redemitque de servitute peccati, et mortis. Secundo Moyses populum de terra Aegypti eductum, per aquas maris traduxit, et in eis quasi baptizavit, sicut Apostolus (1. Cor. 10) ait: In Moysen baptizati sunt, et in mari. Ceterum hoc per figuram agebatur, ut his verbis edixit Gregorius Nazianzenus (orat. 39): Ioannes baptizavit populum in Iordane; non iam ille iudaico more, non enim in aqua solum, sed etiam in poenitentia: ait enim Matthaeus: In Iordane confitentem peccata sua; non tamen ita spiritualiter, ut postea Christus Dominus fecit, baptizabantur ab eo. Ipse etiam Ioannes Dominum suum ac Redemptorem licet stupens, ac tremens baptizare meruit, et Baptistae nomen, dignitateque consequutus est. Tertio Moyses, quando e rubo a Domino vocatus est, iussus est calcamenta solvere: Solve, ait (Exod. 3), calcamenta de pedibus tuis; at Ioanni, sicut Chrysost. (hom. 3. impf.) meditatur, sua propria Deus spi-

ritualia calcamenta dedit, quibus ipse indignum se fateretur, cum dicebat (*Matth. 3*): *Cuius non sum dignus calcamenta portare*. Calcamentum hoc, quod Iohanni praeconi suo, ac ceteris evangelii sui praedicatoribus Christus dare solet, virtus divina est ad calcandos labores, inimicorum persecutiones, atque ipsa daemonia, si necesse sit, pro iustitia, et evangelio: *Calcatei pedes*, ait Paulus (*Eph. 6*), in praeparationem evangelii pacis. Promptos ac paratos esse volens, ut Cyrillus ait (*lib. de adorat.*), ad descendendum alacriter a mundo, ut prompte eant quocumque lex divina, et voluntas inserit, Iohannes mirabile calcamentum habuit, et omni labore, atque adversitate multo fortius, dum Christo testimonium reddebat, dum insitiam et veritatem praedicabat, nullis formidans potentiam, aut minas: de quo possemus recte dicere cum Moysse (*Deut. 33*): *Ferrum, et aes calcamentum eius*. Quarto, Moyses missus a Domino, ut staret coram rege Aegypti, et populum educeret de illius servitute, id fecit in multis signis, ac prodigiis et portentis, quae Dominus patravit in Aegypto, et quibus Pharaonem, et servos eius, totamque terram plagus maximis percussit, ac terruit; at Iohannes Baptista a seipso solo absque signis, et prodigiis, suum munus Praecursoris mirabiliter implevit: *Iohannes Baptista*, ait evangelista (*Ioan. 10*), *signum fecit nullum*: nec aquas convertit in sanguinem, neque virgam in serpentem, nec mortuos suscitavit, aut id genus signa fecit: cuius enim tota vita miraculum erat atque portentum, non opus habuit signis aliis ad sui commendationem, et ut alii verbis eius crederent. Posset dicere Iohannes cum David (*Psal. 70*): *Tanquam prodigium factus sum multis*: et Deus ipse, quod apud Ezechielem (*e. 12*): *Portentum dedi tibi domui Israel*: ipse enim Iohannes toti mundo stupendum, ac portentum fuit, eiusque vita, ac mores multo maiora miracula fuere, quam ea, quae Moyses in Aegypto mirabilia, et magna fecit. Vultis adhuc hoc ipsum cognoscere? cum Moyses fecisset quaedam signa, quae Magi Pharaonis imitari non potuerunt, sed stupefacti, et admirantes crederentur tibi esse divina, et supra humanam virtutem, sicut ait Scriptura (*Exod. 8*): *Dixerunt: Dignus Dei est hic*. D. Augustinus (*in. Psal. 8*) docet nomine *digiti* in sacra Scriptura significari non solum Spiritum sanctum, sed etiam quemlibet virum spirituales, qui Spiritu sancto plenus est, ad docendam fidem, et miraculis confirmandam, atque ideo Magos illos nomine *digiti Dei* intellexisse ipsum Moysen: *Dignus Dei est hic*: ac si dicerent; vir est plenus Spiritu sancto, et virtute divina, ideo operatur haec tam miranda signa, et prodigia. Sed quid habet mirabile *digitus Moysis*, si comparatur cum *digito s. Iohannis Baptistae*? cum illo, inquam, *digito*, quem extendit ad homines, et quo toti mundo iam praesentem ostendit Dei Filium, humani generis Redemptorem, inquit (*Ioan. 1*): *Eccc Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*? Hic est *digitus*, qui signum fecit omnium miraculorum maximum, quo indicavit, et signavit hominibus Christum. B. Thomas Apostolus *digito* tetigit Christum, et agnovit

Dei Filium: *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas* (*Ioan. 20*): sed fuerat prius incredulus, et a Domino in fide eductus, et confirmatus est; at *digitus Iohannis ceteris* indicavit Christum, et ad fidem ipsius eo convertit, et traxit. Potentior fuit, ut sic dicam, *digitus Iohannis humero Moysi*: iste enim portare potuit populum Israel de Aegypto ad terram promissionis: *Porta eos in sinu tuo* (*Num. 12*); at *digitus Iohannis* attulit mundo scientiam Salvatoris, ac Redemptoris eius, quam nec Moyses portare potuit, neque patriarcharum aut prophetarum quispiam. Potuisset s. Iohannes sine detrimento humilitatis dicere, quod olim Roboam rex superbia elatus, et arrogantia, dixit populo Israel (*Reg. 12*): *Digitus meus grossior est dorso patris mei*: Pater s. Iohannis fuit etiam Moyses, cum mater eius Elisabeth fuerit de filiabus Aaron, et stirpe Moysi: grossior ergo, et fortior est *digitus Iohannis dorso Moysis* patris sui: quoniam iste, quamvis portaverit onus totius populi Israel, ac de servitute Aegypti eduxerit, non potuit mundo afferre Iesum Dei Filium in humero suo, et incarnationem ostendere: hoc autem potuit *digitus Iohannis* demonstrare: Fortior igitur *digitus* humero patris sui, immo et brachio illius.

Ceterum non solum Iohannes, sed et mater eius fluente gratiarum, quae per aquaeductum Mariae perennis gratiae fons Christus emittit, copiose participavit: nam ut sapienter dixit Origenes (*hom. 7. in Luc. in init.*): *Non est dubium quin quae tunc repleta est Spiritu sancto, propter filium sit repleta; nec enim mater primum Spiritum sanctum meruit, sed cum Iohannes adhuc clausus in utero materno Spiritum sanctum recepisset, tunc et illa post sanctificationem filii repleta est Spiritu sancto*. Acceptio deinde Elisabeth spiritali prophetiae: nam cum dixit: *Beata quae credidisti*, D. Gregorius (*hom. 1. in Ez.*) docet, verba haec prophetiam continere de praeterito; cum autem dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* manifestam de praesenti praesertim prophetiam: et cum tandem subiunxit: *Perficietur ea, quae dicta sunt tibi a Domino*, apertissimum de futuro vaticinium proplavit. Hoc autem prophetiae donum per filium Elisabeth recepisse, Nicephorus (*lib. c. 8*) docuit, ita ut Iohannes, et mater eisdem verbis prophetaverit: *Iohannes*, inquit, *ore materno, quasi matris sumpto, supra naturae captum vaticinatus, Matrem Domini Virginem vocans, simulque inter multos benedictum*: quibus non dissimilia scripsit d. Augustinus (*de mirabil. sac. Script. lib. 3. c. 1*), dicens: *Iohannes spiritali flamine per os matris de nascituro ex virgine Christo prophetavit; cum enim Moysis spiritus in septuaginta duos consiliarios distribuitur, quid mirum, si pueri adhuc in utero manentis spiritus per matrem loqueretur?* Acceptio insuper Elisabeth a Spiritu sancto illam docente, ut admirabile incarnationis arcantum tot absconditum saeculis prima post Virginem patefaceret, prima Mariam matrem Dei appellaret, prima tandem, quae post Verbi incarnationem Virginis laudes decantaret.

Addunt etiam Patres, illis tribus mensibus, quibus b. Virgo in domo cognatae remansit,

ut tradidit d. Lucas, Iohannem et Elisabeth magna gratiae ac virtutum incrementa suscepisse. De profectu quidem Iohannis per illud trimestre tempus d. Ambrosius (*ad illa verba sup. Luc.*) Mansit Maria cum illa mensibus, sic loquitur: *Non sola familiaritatis ex causa, quod Virgo dum mansit, sed etiam tanti vatis, id est, Iohannis, profectus: nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad exultationem Mariae exultaret infans in utero, repletur Spiritu sancto mater infantis, quantum putamus usum tanti temporis sanctae Mariae addidisse praesentiam? ungebat itaque Iohannes, et quasi bonus athleta accingebatur in utero matris: amplissimo enim virtus eius certamine probatur*. De Elisabeth autem progressu haec apud Origenem (*hom. 9. in Luc.*) lego: *Valde quippe indignum est, in puncto exultare infantem, repletamque esse Spiritu sancto Elisabeth; per tres vero menses nec Iohannem, nec Elisabeth ex vicina Matris Domini, et ipsius Salvatoris praesentia profecisse*. Nec solum Iohannes, et Elisabeth, sed et Zacharias bonorum Marianae visitationis particeps esse noscitur: nam praeterquam incarnationis mysterium agnovit, prophetiae donum, ut tradit Origenes (*10. in Luc.*), et cum mutus esset, loquelam, precibus Mariae a Christo infante accepit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Singulari eruditione, variisque animi conceptionibus illustrantur iterum verba illa: Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo: ubi acceleratus usus rationis in Iohanne, ex ss. Patribus, et ratione comprobatur, ad moresque componendos infantis exultatio convertitur.

Si tam divina, quam humana monumenta consulamus, haud difficile reperiemus, ea, quae infantibus in tenella illa aetate accidit, pronosticum, ac praesagium esse eorum, quae postea illis evenitura sunt. Et quidem, ut ab humanis litteris exordiamur, in natalitate Servii Tullii, VI Romanorum regis, accidit, id referente Tito Livio, ut fulgentissimum quidam splendor, diadematis figuram habens, caput illius redimiret. De Platone, Marulus et Volaterranus tradidere, in eius ore, cum in incubulis esset, examen apum visum fuisse, velut in alveo existens; quod et de Pyrdaro poeta alii edixere. Herodotus item refert, die proximo ante natale Cyri, Aslyagem avum eius materium in somnis vidisse, ex ventre matris illius rapidum fluvium egredi, cuius exuberanti fluxu utraque regio Persarum et Medorum irrigabatur. Plinius etiam commemorat, praeter omnium infantium consuetudinem, qui cum primum nascentur, vagire incipiunt, iuxta illud (*Ecl. 34*): *Primum vocem emisit plorans*; Zorostrum Bactrianorum regem ex matris utero ridentem protulisse. Sacrae deinde literae, et ex libro Geneseo constat, referunt quod, Esau et Ia-

cob in utero matris existentes, iuler se pugnarent, quod futurae alterius pugnae non obscurum indicium fuit: et ad nostralia descendamus, varii historiographi narant, natrem magni illius patriarchae sancti Domini, paulo ante partum eius in somnis vidisse, se in utero gestare caecos, accensam faciem in ore forentem. Idem etiam de s. Nicolao, cum a matre lactaretur, ter in hebdomada feria ii. iv. et vi. a lacte sugendo solitum fuisse abstinere: et de d. Chrysostomo contestatum nobis reliquerunt eius vitae scriptores, cum infans esset, examen apum in ore eius consedissee. Haec omnia quidem rerum magnarum indicia ac certa fuisse argumenta, ipsi rerum eventus existuntque probantur. Nam splendor illi, instar coronae, Servii Tullii caput circumdans, praenotavit regiam coronam, quam apud Romanos postea obtinuit. Examen apum in Platone et Pyrdari ore visum, eorum eloquentiam, ac melliflucum sermone, quo mirifice vigerunt, portendebat. Flumen, quod egrediebatur e matris Cyri utero, Persarum et Medorum utramque regionem irrigans, futurum eius in has gentes imperium, quod postea adeptus fuit, significavit. Zorostrum immaturus risus, cum ab utero matris prodiret, levitatis animi eius, quam per totum vitae suae curriculum praetulit, apertissimum indicium extitit; licet aliis plauerit, pronosticum extitisse, quod in magica arte insignis futurum erat. Lacta illa duorum fratrum Iacob et Esau intra viscera matris, futuros duos populos inter se adversantes adunbravit, ut sacer textus adnotavit, dicens (*Gen. 25*): *Due gentes sunt in utero tuo*. Canis accensam faciem in ore deferens, quem vidit mater b. Domini, quid quaeso illud praedixit, quam illum futurum domini gregis adversus haereticorum errores, ac pravos hominum mores latrantem canem, orisque sui, ac suorum fratrum splendenti doctrina universam Ecclesiam instar fulgentissimae facis illuminaturum? D. Nicolaus in infantili aetate a lactis cibo mira abstinentia, signum fuit singularis parsimoniae, et ab omnibus huius saeculi voluptatibus sequestrationis, quam toto tempore vitae suae professus fuit. Ac tandem mellificantes apes, Chrysostomi ori insidentes, miram eius in concionando faciendam, adeo ut *aurei oris* cognomen decoratum postea fuerit, id enim significat *Chrysostomus*, satis perspicue ostentavit. Cum igitur sacer evangelista inauditum illud prodigium commemoraret, Iohannem scilicet materno adhuc utero delitescentem exultasse, et tripudiasse, ut diem festum adventus Creatoris sui ageret, certe hoc tantum portentum magnarum rerum certis praecunibus existit; unde angelus dixit (*Luc. 1*): *Erit enim magnum coram Domino*; et Christus Dominus celebris illud de eo testimonium perhibuit (*Matth. 11*): *Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista*. Circa hoc igitur mirabile prodigium variis modis illustrandum tota haec nostra versabitur oratio.

Gravissimi quidam in ea fuerunt sententia, ut existimarent, exultationem hanc Iohannes non fuisse actum potentiae rationalis, sed opus liberi arbitrii personae rationis participis, sed

fuisse exultationem quandam metaphoricam, et commotionem, seu gesticulationem quandam corporis instar exultantis, divina virtute per Mariae salutationem, tanquam per instrumentum, factam; in quo sensu sacra Scriptura (Psal. 113) ait, res inanimatas exultasse: *Montes exultaverunt ut arietes*: ita docuerunt d. Augustinus (epist. ad Dardanum), s. Thomas (3. p. q. 27. ar. 6), Eucherius (de q. mor. Test. in Luc.), et Iansenius (in sua concordia), qui ait vice illius vocis gaudii in Graeco esse aliam, quae proprie significat motum aliquem externum corporis, qui gaudii effectus esse solet. Inquit ergo omnes isti Doctores, quod sicut de Jacob et Esau sacra Genesios historia (c. 25) ait: *Collidebantur in utero eius parvuli*: et tamen laeta illa erat absque ullo usu rationis; ita et motus ille Ioannis in utero materno, quo illum exultasse dixit Lucas, absque omni prorsus fuit rationis et liberi arbitrii usu. Ceterum tam Patres graecos, quam Latinos video contrariam omnino sententiam unanimi consensu amplecti: ita d. Ambrosius (li. 1. in Luca. de inst. Virg. c. 13. li. 2. de Virg. et li. 4. de fide ad Gra. c. 4), d. Leo (ser. 10. de Nat.), d. Hieronymus (ep. 7. ad Laet.), d. Petrus Chrysologus (ser. 88), d. Ioannes Chrysostomus, Cyrillus in Luca.), Cyrillus Ierosolymitanus (Cathec. 3), necnon etiam d. Augustinus (li. de con. Evang. c. 15. et de quin. haeres. cap. 14. et li. 3. de mirab. S. Scri. c. 1), Origenes (ho. 4. in Luca.), Theophylactus (sup. c. 1. Luc.), Nicephorus (lib. 1. hist. c. 8), Metaphrastes (orat. de vit. et dormit. Deip. ap. Sur. tom. 5), Euthymius (sup. c. 1. Luc.), Rupertus Abbas (in Ose. c. 1), d. Vincentius Ferrerius. His adiungo verba d. Bernardi (ser. de nativ. Ioannis Baptistae) dicentis: *Illo enim tempore solus potuit illuminare medium suum, soli interim lucere matri, magnum et pietatis sacramentum revelans ipso motu novae exultationis. Sed et alia egregia venerabilis Bedae (super exurg. Maria) his adnectam, in hunc modum elegantiter loquentis: Aperiente os ad salutandum b. Mariae Elisabeth, repleta est mox Spiritu sancto Elisabeth, repletus est et Ioannes, atque uno, eodemque spiritu ambo edocti, illa salutem, quae esset, agnovit, et ut matrem Domini sui, debita cum benedictione venerata est; ille ipsum Dominum esse, qui in utero Virginis portaretur, intellexit; et quia lingua necdum caluit, animo exultante salvavit, officiumque suae praecursoris, quam devote iuvenis esset impleturus, etiam antequam nasceretur, adveniente Domino, quibus valebat indicis, intimavit. Non dissimilia lego apud d. Ioannem Chrysostomum (ho. de visit.), qui solita sua eloquentia dixit: Cum ad nos advenisset, sicut modo audistis, Redemptor nostri generis, venit protinus ad suum amicum Ioannem, dum adhuc esset in utero, quem cum ex matrice aspexisset Ioannes, terminos suae naturae concutiens, exclamavit: Video Dominum, qui naturae implevit terminos, et expecto tempus nascendi: ac tandem silentio non praeterito praecleara Origenes (hom. 7. in Luca.) verba, acute dicentis: Sancta erat anima Ioannis, et adhuc in matris utero clausa, quae ventura erat in mundum, quasi per experientiae sensum sciebat, quae*

*Israel ignorabat; unde exiit, et non simpliciter exiit, sed in gaudio; senserat enim vovisse Dominum, ut sanctificaret serum suum, antequam de matris utero procederet. Ac tandem s. noster Bonaventura (in c. 1. Luc.) inquit: Ex quo infans sic supra naturam exultavit, certum est quod naturae Dominus et occurrerit: et quo infantulus respondet ex utero, certum est te concepissem illum, qui vocat ab utero, secundum illud Isaiae: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei: ex quo puer tam mirabiliter exultavit, certum est iam vere consummatum esse id, ad quod Isaia convocabat: Exulta, et laudabitur Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel; haec hi Patres. Quorum doctrina de accelerato usu rationis in Ioanne, bifariam potest intelligi: primo quidem, quod corporis membris et organis ad exercendam rationem miraculose dispositis: nam sicut artifex aut scriptor sine instrumentis accommodatis effecere nihil potest, ita anima, quae tanquam tabula rasa est, in qua nihil est depictum, ut docuit Arist. (lib. 2. de an.), nisi corporea sensuum organa ad usum rationis habeat commodata, nihil commatraliter intelligere valet. Secundo vero modo contingere potuit ille usus rationis, speciebus divinitus infusus in animam, quae instrumentis corporis minime egerent, ad eundem modum, quo fuerunt infusae angelis, et quotidie infunduntur animabus separatis: quomodo cum quoque tamen id fuerit, multis quidem nominibus mihi persuadere, hanc tanquam Patrum sententiam de rationis usu acceleratione in Ioanne veram esse. Primo, quia licet verbum hoc exultare interdum in sacris eloquiis metaphoricè accipiatur; exultare tamen in gaudio nunquam secundum metaphoram usurpatur, ut acute observavit Origenes: igitur cum Lucas dicat: *Exultavit infans in gaudio*, manifeste reliquitur loci de vera et propria exultatione, quae est actus liberi arbitrii, usum rationis supponens. Secundo, quia Zacharias locutus est cum Ioanne in die circumcisionis eius: *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis, praecibus enim ante faciem Domini parare vias eius: Patres autem non loquuntur ad infantulos, nisi iocose, minime vero revelant eis negotia magni momenti: cum ergo Zacharias magna illa arcana Ioanni infantulo affatus fuerit, consequens est locutum fuisse ad illum tanquam ad rationis participem; unde d. Ambrosius (li. 2. in Luc. c. 11) haec rationem largens ait: Si fortasse aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putent, quod Zacharias octo diebus alloquitur infantem. Verum si teneamus, intelligimus profecto quod potuit vocem patris natus audire, qui Mariae salutationem, antequam nasceretur, audivit. Sciebat propheta alias esse aures prophetae, quae spiritu Dei, non corporis aetate reserantur; habebat intelligenti sensum, qui exultandi habebat affectum; haec Ambrosius: Tertio eadem sententia tenacius adhaerere, quia Ecclesia Romana in officio s. Ioannis Baptistae plane illam docuisse mihi videtur: ait enim (in Hymno)**

Ventris obstruso recubans cubili.

Senserat regem thalamo manentem.

Insuper ait:

Hinc parens nati meritis uterque
..... obdita pandit.

Ecce docet Ecclesia, Ioannem parentibus suis meritis donum prophetae, quo abdita pandunt; constat autem meritum non posse esse absque libertate, nec libertatem absque usu rationis. In officio etiam, quo ex approbatione sedis apostolicae natus sacer Cisterciensium ordo in Visitatione Virginis dicitur:

Sacri iunguntur uteri,
Millesque sui Domini
Praesentium dum percipit
Hunc exultando suscipit.

Ac tandem quarto, quia, ut gravissimi Patres docent, Ioannes inter alia divina charismata, quae per salutationem Virginis, tanquam per divinae virtutis instrumentum, accepit in utero matris latens, unum fuit prophetae donum, quod constat nemini dari, nisi ratione utenti. Origenes (hom. 7. et hom. 2. ex variis in sacris literis versatissimus in hunc modum loquitur: *Dum adhuc essem in visceribus matris, propheticus spiritus vidi illum coram me conceptum in utero Virginis*: et d. Chrysost. (ho. 27. in per.) sapienter interrogat: *Quis propheta, cum esset propheta, id facere potuit? Elias quidem unxit Eliseum in prophetam, non tamen prophetandi gratiam illi donavit; iste autem in utero matris existens divini introitus scientiam patri donavit, et os illius in verbo confessionis aperuit, ut eurus non videbat personam, cognoscere dignitatem. Et infra, explicans quomodo prophetae veritatem in utero, cum ibi nil locutus fuerit, inquit: *Statim exultans puer prophetae, non voce, sed motu. Accedit d. Leo, qui (ser. de nat.) haec habet: Praecursor Christi spiritum prophetae intra viscera matris accepit, et nondum editus Genitrici Domini signa exultationis ostendit. Consensit Venerabilis Beda (in evang. Exurg. Maria) dicens: Unde tibi haec exultatio? nondum natus, et propheta? Matrem Domini in voce cognoscis, quam quia resalutare non potes, exultando agis, quod potes: quam laetus ei occurreres, si iam natus cum videres, cuius voce audita exultando obviam ire conaris? Atque his ininitentes Patres omnes concilii Basileens. (sess. 43. de visit. Virg.) unanimes huic veritati subscribere, asserentes, salvatorem a suo praecursore tunc fuisse cognitum. Videtur sane in hac felice Mariae visitatione id coniigisse, quod tempore aestivo accidit. Nam quemadmodum tunc in locis solari planetae magis expositis citius fructus maturescunt, quam in umbris; ita sane quia Sol iustitiae Christus Dominus a Mariana aurora ductus in domum Zachariae, viciniorum se constituit Ioanni, hinc est, ut usum rationis fructum celerius ac citius maturesceret: adeo ut in Creatorum suum, ut docet d. Thomas, praecceptum illud conversionis in primo instanti usus rationis perfectissime impleteret. Quod si Ioannes dixit: et ego**

*nesciebam eum, quibus verbis videtur se fateri non agnovisse Christum Dominum, sensus non est, quod ignorasset illum, sed quod Christum de facie non advovisset, neque cum illo conversatus fuisset; quod divina providentia factum esse arbitror, ut sic testimonium, quod de Christo apud homines exhibitur erat, omni prorsus suspicione careret: ite interpretantur Chrysost. Theophylactus. Ruper. Interim et alii multi expositores in commentario illius loci. Illud autem quod quidam cum Card. Caiet. (3. p. q. 27. art. 3) affirmant, usum rationis Ioanni in utero materno datum, non deceps in eo perseverasse, mihi nulla ratione persuadere valemus; quia credibile non est, Christum Deum amantissimo sibi infanti, quod liberaliter et impertiverat, abstulisse, maxime quod sine penitentia sunt dona Dei, ut ait d. Paulus (ad Rom. 11). Ex hoc igitur usu rationis et vera cognitione, qua Christum Dominum praesentem novit in utero matris commemorantem, et a peccati macula ipsum emundantem, ortum habuit mira illa exultatio, et ingens gaudium, cuius meminit evangelista (Luc. 1): *Exultavit infans in gaudio. Longe aliter Ioanni accidit, quam olim Adamo; hic enim cum vocem Domini audivit, terrore concussus est (Gen. 3): Domine audivi vocem tuam, et timui, eo quod nudus essem; ad Ioannes audita voce Virginis miro gaudio exultavit: Adam de publico in absconditum fugit, Ioannes de utero penitentiali, ut se Dominus suo offerret, gessit erumpere; Adam beneficium a Deo recepta Deo non refert, neque illi grates agit, Ioannes materno utero clausus beneficiorum confessionem, quam ore promere non valet, corde exhibet cum Davide (Psal. 70) dicens: *In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae tu es protector meus; in te cantatio mea semper: Adam contristatur, et reunit ad praesentiam Dei illum vocantis venire, Ioannes vero agnoscit tanquam servus Domini, miles regem, praeco iudicem, et quibus potest, ut alter David coram area, saltibus et gesticulationibus adventum Christi in utero matris illum visitantis laetanter celebrat. O inauditum novitatem, o stupendum miraculum, o pulcherrimum, ac mundi theatro incognitum spectaculum! parvuli materno alvo clausi invicem se salutant, invicem sibi alludunt, non sicut Ismael Isaac, alter alteri illudice parvuli in visceribus maternis, sicut olim Iacob, et Esau in utero Rebecca contententes, non tamen instar illorum, ut alter alterum supplantet, sed ut alter alterum mutuo sanctificet, ille sanctitatem confitendo, hic sanctitatis auctorem confitendo. Abraham quidem magnum beneficium collatum credimus, cum de illo dicitur (Joan. 8): *Abraham exultavit, ut videret diem meum, vidit, et gavisus est. Sed accidit in figura, et gavisus est spe rei futurae; ad Ioannes Iycaeus infusae sibi cognitionis oculis Christum vidi praesentem, non in umbra, et in imagine, sed in vera carne existentem. Verbum enim Dei in Maria conceptum, et ore eius loquitur, a Ioanne materno utero adhuc incluso, veluti sympathia quadam, recognovit fuit; et ni fallor, quasi echo loquente Verbo quod in principio erat apud Deum, resonavit etiam vox, hoc est,****

Ioannes, qui vox erat clamantis in deserto, resonat, inquam, non vocis sono, sed corporis motu; quem sentiens mater eius dixit: *Exultavit infans in utero meo.*

Ceterum explicare oportet, quod a multis desideratur, quodnam genus gestulationis, et corporalis reverentiae Ioannes materno utero inclusus Christo Domino exhibuerit. Ad huius intelligentiam praesupponere oportet, quod, ut Aristoteles tradit (*l. 1. de hist. animal. c. 8.*), et Hippocrates (*l. 1. de nat. pueri*), necnon Avicenna (*l. de gen. embri. c. 3.*), infans in utero conglobatus sic se habet, ut nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua, manus ad genua, caputque pedibus proximum habeat, ad eum certe modum, quo Eliam se compositis ad orandum, sacra Regum narrat historia (*3. Reg. 18*): *Ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua: in quem etiam modum mancipia olim aptari compellebantur, cum proprie delicta flagellari debebant. Habent etiam infantes, ut fidem naturalis scriptores docent, conversam faciem ad terga matris. Cum primum ergo Ioannes divina virtute agnovit, Christum Dominum media Virginis salutatione illum a peccati originalis laebe emundasse; dixerat enim Salomon (*Prov. 20*): *Rever, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo, continuo faciem convertit ad Christum, ut debitum ei reverentiae cultum exhiberet, et ut sicut alter Ionas ex ventre caeti Deum eravit, sic ipse ex ventre matris Christi praesentiam revereret, ac instar disertissimi oratoris, qui, quod verbis exprimere non valet, artificiosa manus motione indicat, ita sacer hic infans, voce non valens Christi praecore esse, corporis motu et tripudio id suppleret. Motus ergo corporalis, quem tanquam internae exultationis, et gaudij partem exhibuit Ioannes, intra matris claustra latens, fuit conversio illa, qua vultum convertit ad Christum qui in utero virgineo, velut in throno, iacebat. His addo, quod nonnulli tradunt, id referente erudito auctore Salmerone (*tom. 3. troc. 10.*), in amplexu Mariae et Elisabeth Mariae in spiritu vidisse Ioannem genuflexum coram Christo, et ad invicem hos sacros infantes se respexisse, et Christum velut in regio solio sedentem Ioanni benedixisse, sanctificasse, nomen illi indidisse, praecursorem instituisse, atque Spiritu sancto replevisse. Potuit ergo motio illa corporalis fuisse genuflexio haec, qua Christum Dominum non solum mente, sed corpore coluit. Verum tamen est, quod sicut cometa stabilis non movetur nisi a stella firmamenti, ut astrologi tradunt, ita Ioannes, quem merito felicem cometam appellaverunt, cum adventum magni Regis praenunciavit, minime intra materna claustra latens, exultans moveri potuisset, nisi ex influxu, et respectu fulgentissimae illius stellae humanitatis Christi, quae in firmamento virginis uteri delitebat. Ferunt deinde naturalium rerum historiographi, perdidicisse pullum adhaec sub putamine clausum modeste adeo ferre clausuram illam, ut rostro putamen percussis aditum sibi faciat, forasque erumpat, ipsum tamen se-**

cum ferens putamen. Quidam hanc perdidicisse naturam contemplantes, recte illum in celestis symbolum converterunt, hanc ei ingeniosam apponentes subscriptionem: *Natura ipsa celerior: nam cum reliquis volucris haec natura insita sit, ut non prius ab ovi clausura prodeant, quam ex putamine avulsae sint, pullus tamen perdidicisse, quasi quietus illius, etiam clausurae impatiens, etiam putamen secum trahens foras erumpat, et progrediatur. Haec quam apte in infantem Ioannem conveniant, nemo est, ut arbitror, qui non videat: aderat quidem ille in utero materno, instar pulli perdidicisse intra ovi putamen, Christi tamen praesentiam mirabiliter praesentens, quasi moleste ferens impotentiam foras erumpendi, ut Creatori inserviret, illumque externo cultu coleret, coepit totam naturae facultatem transcendens, Deum suum interna laetitia adoratione venerari, et mirabilis corporis gestulatione adventum eius celebrare, ut non immerito, immo potiori iure, quam perdidicisse, ei adscribi possit inscriptio illa: *natura ipsa celerior.**

Quam autem ingens Ioannis gaudium illud fuerit, quo ante Christum Dominum exultavit, id quod sub polo degentibus accidit, apertissime nobis indicabit: qui enim regionem illam incolunt, per sex integros menses ob solis absentiam in continuis tenebris versantur; illis vero transactis, cum primum sol eurescit, micantibusque suis radiis totum orbem hemisphaerium collustrat et illuminat, omnes incredibili iubilo collaectantur, solisque adventum variis modis celebrant. Atque hinc est, quod acute quidam ad describendum ingentem quandam laetitiam, solum polarem regionem irradiantem depinxerunt, haec ei inscriptionem apponentes: *Semestris tenebras pellit.* Ad eundem certe modum, cum Ioannes obscurissimis peccati originalis tenebris esset involutus, et in ergastulo uteri materni per sex integros menses, instar habitantium sub polo, ibi degisset, illisque iam transactis, ut angelus dixit (*Luc. 1*): *hic mensis est sextus illi, Sol iustitiae Christus Dominus hemisphaerium animae Ioannis gratiae suae splendoribus irradiasset, continuo ille summa alacritate exultare coepit, Luca id attestante (ibid.): Exultavit infans in gaudio. Quod si tantae laetitiae causam ab eo scisciteris, illum tibi reddet: Semestris tenebras pellit: per sex namque menses peccati originalis tenebris obrutus iam in utero iacuerat, quibus repente pulsus, non potuit non magnum gaudium concipere. Rursus quemadmodum philomela cavea inclusa, et maxime si masculus est, philomelae foeminae cantu ad concinendum invitatur, sic Ioannes ventris materni inclusus cavea, Deiparae Mariae, veluti Philomelae suavissima voce Elisabetham salutante excitatus, Verbi divini praesentiam agnovit, et matris exultans indicavit. Certe navigatoria acus magnetis lapide tacta a quilonarem stellam indicat, sic Ioannes divini spiritus gratia tactus fulgentissimum illum solem, Christum intelligo, cuius radiis incluserat in utero, laetabundus corporis gestulatione demonstravit. Ad haec Vincentius Gili-*

bertus (*super Psalmum Magnus Dom. lect. 21.*), refert hieroglyphicum pantherae, huic argumentositas accomodatam: depinxit pantheram, in eius dorso propter colores, quorum mira varietate distinctum habet, si versus splendens lunam se moveat, fulgens in eo stella conspicitur; secus vero, si ad lucem lunae non se convertat: hieroglyphici autem huius haec erat inscriptio: *Sic mutor ad illum.* Ad eundem modum Ioannem contemplor, velut mysticam pantheram, cuius anima potentiarum varietate velut colorum diversitate depicta, stella erat, sed stella in medio nebulas, hoc est peccati originalis nebula obscurata, quia tunc longe a luna aberat; adveniente tamen Maria, quae pulchra est ut luna, et ut luna plena, quia gratia plena, continuo Ioannes ad lunam hanc se convertens, anima eius splendida adeo stella facta est, ut merito dicere possit: *sic mutor ad illum, hoc est, ad praesentiam huius pulchrae lunae, felix haec mihi contingit mutatio, ut ex peccati tenebris in admirabilem gratiae lucem transferat. Impletum fuit tunc in Ioanne illud Job (cap. 11): Cum te consumptum putaveris, orietur ut lucifer, vel, ut habet originale hebraeum: Obscuratio tua erit ut lucifer matutinus: quod mirum in modum in Ioanne convenit, cum ob Praecursoris munus, tanquam lucifer fuerit, Solis iustitiae adventum praenunciavit; cum ergo ad Marianae lunae praesentiam, ac favorabilem aspectum a caligine illa peccati ad gratiae lumen mutatus fuerit, merito, ut dixi, sibi usurpare potest illam pantherae inscriptionem: *sic mutor ad illum.* Ut tamen mutatio haec dexterae Excelsi celebrari esset, spirituales choroae habitae fuere in domo Zachariae. Sane si ad eas convenire solent nobiles foeminae, adsunt hic Maria, et Elisabeth, nobilissimo genere natae: si ad choroas nonnulli veniunt simulati, et personati, adest hic Verbi divini maiestas, infantilis carnis velamine simulata, adest et Ioannes tanquam adultus, et rationis particeps puerili parvitate personatus: solent choroae dulces cantus concomitari; si certe hic non desiderantur, cum Maria et Elisabeth, tanquam diversi chori, invicem concinentes sibi respondent: Elisabeth canit (*Luc. 1*): *Benedicta tu in mulieribus: canit et Maria (ibid.): Magnificat anima mea Dominum.* Quod si in chorois exultatio et gaudium frequens est: ecce Ioannes exultat, et gaudet: *Exultavit in gaudio infans in utero meo: ecce Maria exultat, et laetatur: Exultavit spiritus meus in Deo salvatori meo: exultat tandem Christus, Sapientia Patris, ut ipse testatur (Prov. 8): Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, vel, ut legit Philo hebraeus, choroas duces in orbe terrarum. Haec sacrae choroae non ad vanas et prophanas, sed ad christianas nos invitant choroas: in illis quidem prophanis qui saltant, id necesse praeslare debent, ut a terra se elongent, et coelo magis se approximent, et quo magis a terra se elevant, tanto magis coelo viciniorem sunt; non secus si sacris chorois vacare desideramus, oportet a terrenis curis nos se moveri, et sursum in coelestia bona ferri, iuxta illud Pauli (*Coloss. 3*): *Quae sursum sunt,***

querite, non quae super terram. Dicitum est enim (*Apo. 8*): *Vae habitantibus in terra.* Qui choroas ducunt, id maxime attendunt, ut corporis motus et saltus sono citharae obtemperent, et conforment; ad eundem quidem modum, ut gratas in conspectu Dei choroas ducamus, id maxime curandum est, ut opera nostra fidei sono conformetur; alioquin si opera discordant fidei, merito audiemus verbum proverbium: *nihil ad fidem, quod de male choroas ducentibus dicitur.* Quorum sane, quia in his spiritualibus chorois, prohi dolor! infinitus est numerus, merito ad illos verba Christi Domini usurpare poterit: *Cui ergo similes dicam homines generationis huius? et cui similes dico? similes sunt pueris sedentibus in choro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus: cantavimus vobis psalmis, et non saltastis: lamentavimus, et non plorastis.* Certe Verbi divini praecones, tanquam Dei citharoedi, quandoque lugubres vobis canimus conciones: *Ita maledicti in ignem aeternum: Agite poenitentiam: Mortificate membra vestra: Sapite, quae sunt super terram: quandoque dulcissimis cantibus aures vestras demulcemus, ad spirituales choroas vos invitantes (*Psal. 150*): Laudate eum in sono tubae, laudate eum in psalterio, et cithara: Laudate eum in tympano, et choro, laudate eum in chordis, et organo. Vos autem, parcite, tanquam asini ad iugum, et quibus, ut nuper dicebam, nihil ad fidem: tam lugubrem, quam alacrem praedicationis musicam, ac coelestem harmoniam despicientes, nec nobis cantantibus saltastis, nec nobis plangentibus planxistis.*

Ad extremum observandum est, tunc primum Ioannem exultasse, cum media salutatione Virginis a Christo Domino in utero materno iustificatus fuit; quo aperte docemur nihil magis alacrem reddere animam, quam eius iustificationem: unde David (*Psal. 114*) cecinit: *Eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in laetitia: eduxit namque peccatores ex aegyptiaca captivitate in terram promissionis, hoc est, in exultationem et laetitiam. Id expertus fuit d. Augustinus, cum (lib. 9. Conf. e. 1) dicit: Quam suave mihi subito factum est, curere suavitatibus nugarum, quas amittere metus fuerat, tam dimittere gaudium erat; eccitibus eas a me, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior. Accidit quidem peccatoribus iam iustificatis, quod filius Israel: nam sicut illis, postquam a Pharaonis imperio egressi fuere, Deus pluit in itinere manna de coelo, ita illos, qui a tyrannica daemoneis servitute, divina gratia adiuvante, se subducunt, dulcissimo coelestis consolationis manna recreat, cum ipsoque caeso congratulabundus collaectatur, ut Aretas Caesaris episcopus, versans illa verba: *Ad ostium sto, et pulso, his verbis in persona Christi loquens adnotavit: Violentiam non habet meus adventus, ostium cordis pulso, et una cum eis, qui aperunt, super ipsorum salute laetor; delicias enim, ac coenam duco salutem hominum; haec Aretas, quibus aperte ostendit, quantum peccatori poenitenti Christus congaudeat. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.**